Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3115
Quelle:
Copyright:

politano? Solebant *Miniatores Itali* in fronte *Codicum* etiam impressorum informare Coronidem aliquam, vel Scutum, eaque vacua relinquere, quo deinceps ad emtorum lubitum Insignia, aut Emblemata reciperentur, quod multis exemplis doceri possit. Scuti nostri pars sinistra colores Gentis illustris *Cibo* praefert, in quam cooptatus fuit *Hier. Calagranus* noster ab *Innocentio* VIII. ejus Gentis, cui a secretiori Cubiculo fuit. Cum vero majores *Innocentii* multum *Neapoli* versarentur, fieri potuit, ut *Codex* hic ab iis ad *Innocentium*, ab hoc vero ad *Hieronymum* perveniret. Fuit ille patria *Fossanensis*, Sedemque *Montis Regalis* ab a. 1490. ad an. 1497. laudabiliter tenuit. Vide *Ughellii Italiae sacr.* T. IV.

DCCCLXXVIII.

735 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 249. 4. elegantissime descriptus, marginibus et Literis initiorum auro fulgentissimis et admirabili colorum varietate oculos delectantibus, praeter complures minores Sanctorum imagines majoribus 29. ornatus, quae partim Servatoris Mysteria, partim *Jobi* Historiam exhibent, *Precatorius* est, sive *Horarium* hoc ordine procedens: Calendarium. Horae de Passione Domini. De Spiritu S. Initia IV. Evangeliorum. Orationes ad Deiparam. Ejus Horae. Psalmi de Poenitentia cum Litaniis. Officium Defunctorum. Responsoria de variis Sanctis. Calendarium lingua *gallica* exaratum, Precesque variae hac lingua inscriptae pulcherrimo huic artis graphicae et pictoriae Exemplo patriam *Franciam* aut *Belgium* adsignant.

DCCCLXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 706
XV. Folior. nunc 204. 4. Liber Precum sive *Horarium* (Heures) est, in *Gallia*, ut Inscriptiones plures lingua illius Gentis conceptae innuunt, nitide exaratum, auro coloribusque, et XII. Picturis Vitae *Christi* mysteria repraesentantibus speciosum. Praeit, ut solet, *Calendarium*, cujus tamen primi IV. Menses exciderunt. *Ordinacio sancti paterni* ad diem 21. *Maji* auro scripta argumento est, primum olim Possessorem in *Vennetensi Britanniae* Minoris Dioecesi vixisse, cui a. 540. *Paternus* II. datus est Episcopus, ordinatus antea *Jerosolymis* a Patriarcha *Johanne* III. ut habes apud *Bolland.* et *Baillet* ad diem 15. *Apr.* quorum posterior, qui Festum *Translationis S. Paterni* diei 21. *Maji* adsignat, fortassis e *Calendario* nostro emendandus est. Obiter observo in Serie Episcoporum *Vennetensium* apud *Richard.* T. V. *Diction. des Scienc. Ecclesiast.* p. 482. unicum *Paternum*, eumque ad an. 465. occurrere. Testatur praeterea *Calendarium* nostrum *Translationem S. Benedicti* ad diem 11. *Julii.* Ipsius *Horarii* Partes potiores sunt: Officium B. V. M. Officium de Passione Christi.